

DE POMPONII TAURELLI CARMINE
IN PARTUM BEATISSIMAE VIRGINIS NONDUM FORAS DATO

Parmensis poeta¹, cuius pervulgata sunt opera vernacula lingua exarata ac praesertim tragoediae (quibus inter huiusce generis scriptores qui XVI saeculo flourerunt haud obscurum locum tenet), latinae quoque poesi operam navavit². Si quis vero inter latina et vernacula huius Nostri carmina comparisonem instituat, id procul dubio animadvertat quibus nugis et deliramentis in vernaculis, iuvenili scilicet aetate, indulserit, ab iis, si admodum pauca excipias, in latinis longe auisse.

Quae autem, cum et re et sententiis valde inter se differant, ita quoque et veruum et numerorum genere varia sunt et ipsa mentis animique concitatione alia aliis potiora: sunt enim in quibus ruris otia locorumque amoenitatem summo artificio describit³, sunt in quibus sibi temperare nequit quin in lucri scabiem (« insatiabilem — auri sacram famem »)⁴ vehementer invehitur quae eo interdum pervenit ut longius iam progredi non posse videatur, vel sale atque aceto superbos honoribus inhian-

¹ Pomponius Taurellius, Monte clariculo (vulgo Monte chiarugolo) in parmensi pago, e Paulo et Beatrice, Johannis Francisci Pici Mirandulani filia, MDXXXIX a reparata salute anno ortus, cum, studiorum causa, Patavii diu commoratus esset, in patriam denique reversus, contulit ad scribendum potissimum quantum res publica tribuebat otii (compluribus enim civilibus muneribus apud externas quoque gentes est functus). Postremo autem, a publicis negotiis remotus, anno MDCVIII p. Ch. n. supremum diem obiit.

² Pleraque P. Taurelli opera vernacula lingua sunt conscripta, nempe: *Rime amorose*, Parmae 1575; *Rime*, ibid., 1586; *Scherzi*, ibid., 1598; *Tragoediae* (scilicet: *Merope*, ibid., 1589, 1598, 1605; *Tancredi*, ibid., 1597, 1598, 1605; *Galatea*, ibid., 1603; *Vittoria*, ibid., 1605; *Polidoro*, ibid., 1605). Quibus operibus oratione numeris adscripta exaratis, nonnulla addi possunt prosa oratione confecta, videlicet: *Trattato del debito del cavaliere*, Parmae 1596; Venetiis 1596; exstant autem in nonnullis Parmensis Bibliothecae codicibus manu exaratis: *Lezioni sopra la poetica di Aristotele* (mss. Parm. 1304, 1305, 1564, 1642, 1643; 1644); *Trattato della poesia lirica* (ms. Parm. 260); *Opuscoli diversi* (ms. Parm. 637); *Lezioni etiche*, altera redatio (mss. Parm. 1273, 1274); altera vero (ms. Parm. 1275); *De movimenti dell'animo* (ms. parm. 257). Latina quidem lingua sunt exarata: *Lucubrationes super libros Ethicorum Aristotelis* (ms. Parm. 1316), *Carmina*, quorum alia in pulverulentis quibusdam codicibus (Parm. 629 Parmensis Bibliothecae, atque in VIII scidula, Familiarum fundo Publici Tabularii (vulgo < Archivio storico parmense >), prope ignorata delitescunt, alia vero in lucem sunt edita (*Carminum libri sex*, Parmae 1600).

De huius Nostri vita operibusque videsis: I. AFFO - A. PEZZANA, *Memorie degli scrittori e letterati parmigiani*, vol. IV, Parmae 1793, p. 262; vol. VI, ibid., 1827, pp. 605 et 972. A. BARILLI, *Nuova biografia di P. Torelli*, Parmae 1903. C. PARISET, *La tragedia Merope e le tragedie Tancredi, Galatea, Vittoria, Polidoro di P. Torelli*, Fani Fortunae 1903. G. VERNAZZA, *Poetica e poesia di P. Torelli*, Parmae 1964.

³ Huiusmodi hi versus: « Eram solus ego meridianus, — porticu spatiabar inque aprica, — quae ex hac prominet ardua arce spectans, — in prata et liquidum exiens in amnem, — hinc referta iuga oppidis videbam, — montes tollere postque se altiores, — et tractus superare nubium Alpes; — hinc Bacchi et Cereris vigere dona » (*Ode Ad sodales*, vv. 46-52, in P. TAURELLI *Carminum libri sex*, cit., VI).

⁴ *Ibid.*, IV, *In Serenissimum Franciscum Mariam Urbini ducem*, vv. 19-20 (qui versus, ut perspicuum est, VERG., *Aen.*, III, v. 56 respicit).

tes fricat ⁵, id ratus praecipuum scriptoris officium esse aequales deerrantes ad rectam viam redigere; sunt denique quae ad religionem spectant, ubi humana omnia dilabi, corruere, evanescere semel atque iterum monet suadetque ⁶. Nec facere possum quin eos versus proferam in quibus singularis quidam animi ardor inest atque omnis illa vis et quasi flamma sinceræ pietatis:

« O qui innocenti sanguine luridas
culpis reorum Christe animas lavis,
Tu sole puro corde ab alto
elicias pluviam tepentem.
Hac irrigatus, displiceam mihi,
Tibi uni adhaerens, et sine Te mihi
sordescat orbis, per Te inertī
in senio renovem iuventam ».

(*Carminum libri sex*, III, vv. 29-36)

De his vero hactenus (quamquam non alienum fuisse arbitror quae latinae poesi sunt propria et peculiaria raptim breviterque attingere). Venio nunc, ut initio proposui, ad carmen *In Partum Beatissimae Virginis* ⁷ in quo vates maternum virgineumque eiusdem nomen laudibus extollens, « pueros integros — inuuptasque magnopere adhortatur ut diem festum agant: Ipsa enim « Beatissima Coelitum » (v. 9), quam Inferi valde reformidant (vv. 13-16); Ipsa « integerrima virginum — superni Genitrix Dei » (vv. 17-18), per quam hominum genus est redemptum (« novo — mundum Sole besti », vv. 23-24). Quapropter non sibimet ipse, non suis viribus confisus, sed Deiparae Virgini suas incensas effundens preces, sic vates praecatur: « Adsis o miseris pia, — pium concilians Deum... » (vv. 25-26). Hac autem suavissima spe fretus, carminis finem facit, quod idcirco commendatur quia ardor animi nunquam non adest, nec illa vis et quasi flamma orationis extinguitur.

Lingua pura ut nihil liquidius, ita libere fluit, ut nasquam adhaereat. Quod vero ad verborum comprehensionem attinet, nihil tam tenerum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingatur; nihil denique quod, omnibus poetarum adminiculis longe amotis, pietatem erga Virginem Deiparam aptius exprimat.

Pomponii Taurelli *In Partum Beatissimae Virginis*

Aureas pueri integri
innuptae quatiant faces;
Mariae celebri die
micent ignibus arae.

⁵ *Carminum libri sex*, cit., III, *In superbientem*.

⁶ Sedibus Coeli nitidis recumbens, — nos mones brutae fugitivae terrae — spernere regna » (*Ymnus in Divum Basilium*, ex codice manu exarato 629 Parmensis Bibliothecae).

⁷ Quod carmen in duobus parmensibus codicibus manu exaratis asservatur: a) in VIII Publici Tabularii scidulae fasciculo qui « Versi latini d'argomento puro del conte Pomponio Torelli » inscribitur (cc. 6 v. - 7 r.). Haec autem scidula complures paginas inter se disiunctas, quae et rebus et tempore, magnopere inter se differunt continet; b) in codice 629 Parmensis Bibliothecae, carthaceo, XVI saec., mm. 329-241, glossis quae nuncupantur omnino carente. Qui codices admodum paucas praesecerunt letinunculas, quas infra veluti ante oculos legentium ponemus.

Pura purior Hespero
 Mariae enituit fides:
 Mariae pueri integri
 mecum dicite carmen.
 Beatissima Coelitum,
 orbis egregium decus
 quae orbis imperio gravem
 coeco deprimis orco,
 icta nomine lurida
 Stix palus trepidat tuo;
 nigrae difugiunt tuis
 victae viribus umbrae.
 Integerrima virginum
 supremi Genitrix Dei,
 vile mente humili solum
 Coeli sedibus aequis
 plena¹ lumine candido
 luna quae iradias diem
 fugatis tenebris novo
 mundum sole beasti,
 adsis o miseris pia,
 pium² concilians Deum,
 ne nostris vitiis ferox
 victus imperet hostis.

CLELIA MARIA PIASTRA

¹ In Codice Parm. 629, scriptum legimus « una ».

² In Codice Parm. 629, huic verbo « Mater » praepositum est.